Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3169
Quelle:
Copyright:

vigilia pentecosten obijt pater meus. Ernestus videlicet *Ferreus* a. 1424. ut ipse *Fridericus* notat in *Diario* suo, quod inter *Codices Hist. Prof.* in Bibliotheca *Aug.* extat. Ad Festum Johannis Bapt. *Obijt dux fridericus* 1438. Intellige *Fridericum* dictum *de Pera vacua*, cujus mortem alii anno 1439. adsignant. Ad 11. Aug. *Obijt mater 9. hora noctis* 1445. Nescio, quae mater; *Friderici* enim Matrem *Cimburgam* mox videbimus. Ad 27. Aug. *Cile osterreicher feld fur die neustat 1452.* id est: *Udalricus* Comes *Ciliae* et *Austriaci* duce *Udalr. Eitzingero* obsident *Neostadium* ad extorquendum *Friderico Ladislaum* Hung. Itaque sequitur ad 4. Sept. *Kunig Lasla ausgeben* 1452. id est *Ladislaus* illis traditus. Ad festum Matthaei Apost. *natus sum 1415.* Notissimum, vel e Sigillis *Friderici.* Unde male in *Art de verifier les Dates* Natalis ejus ad 23. *Dec.* reponitur. Ad 26. *Obijt. P. S.* 1440. Quis hic? Ad 28. *Obijt. mater 1429.* nempe *Cimburga Tirnitzii* in *Austria*, sepulta in Coenobio *Campililiensi* vicino. Mortem hanc *Fridericus* etiam in *Diario supracit.* notavit. Ad 27. Oct. *Obijt rex Albertus* (Imp. II.) *pie memorie.* Id quoque in *Diario* notatum.

DCCCCXXXI.

977 Codex membraneus lat. germ. anno seculari M. D. ut videtur, scriptus, Folior. 194. 24. nitidissimo charactere, literis initiorum et quibusdam Frontispiciis deauratis et picturatis, insuperque Iconibus VIII. artificis penicilli decoratus varia Pietatis Exercitia continet. Praeit *Calendarium* germanica lingua, in quo Epiphania *Oberstag* audit, *Vitus* et *Egidius* miniati sunt, eodemque colore ad 9. *Sept.* notatur *Chunigund erhebung*, unde *Codicem* ad Dioecesin *Bambergensem* respicere putem, quo etiam *Petrus* et *Paulus* illius Ecclesiae Patroni *fol.* 31. p. 2. depicti pertinere videntur. *Calendario* subjungitur Schema literarum dominicalium, cui superpositum: M. V.c 1. id est, Annus 1501. et *Tabula ad sciendum in quo membro corporis sit luna.* Preces utraque lingua mixtae potissimum privato ingenio concinnatae sunt, multaeque vulgi traditionibus nixae, nescio quas, praeviis rubricis noxarum venias spondent, quibus utinam non nimium multi adhaeserint de emendanda ceterum vita parum soliciti!

DCCCCXXXII.

Codex membraneus lat. belg. 711
Sec. XIV. Folior. nunc 133. 4. deficientibus aliquot in medio, eleganter scriptus, marginibus auro, coloribusque florulentis, et, ut Nota praevia testatur, Thesauro *Ambrasiano* illatus ab Arcis Praefecto *Job. Cph. Pappo* a. 1620. *Precatorius* est, continens Officium Vespertinum pro Defunctis fine mutilum, Officium de Sapientia Aeterna initio mutilum,

 Psal-